

6

R. P. D.

LANCETTA

Toletana Canonicatus.

Mercurij 1. *Iulij* 1716.



Anguinis puritatem in Admittendis ad ecclesiasticas Dignitates à celebrioribus Hispaniæ Ecclesijs iuxtà particularia Statuta requisitam, præscribit etiam Statutum primitialis Ecclesiæ Toletanæ auctoritate Sanctæ Sedis Apostolicæ confirmatum, disponendo, quòd in illius Capitulum admitti non possint, nisi Nobiles Clerici, aut literis præditi, qui ab antiquis Christianis nulla Hæbreorum, aut Saracenorum, aut Hæreticorum macula infectis originem ducant, quodque comparente Aliquo adpetendam possessionem alicuius Canonicatus, Portionis, seù Cappellaniæ ibidem existentis, deputetur Vnus ex ipsius Ecclesiæ Canonicis ad perquirendas in Petente qualitates suprà enunciatas.

Ad formam illius Statuti Ioseph Fernandez Iubera prouisus à Sanctissimo Domino Nostro de Canonicatu prædictæ Ecclesiæ, qui in Mense reseruato vacaverat vsque de Anno 1709. non solùm literas Apostolicas coràm Decano Exequutore deputato præsentauit sed etiam exhibita suæ descendentiæ Genealogia deputari Canonicum Commissarium prò desumendis probationibus circà sanguinis puritatem obtinuit.

Deuentum itaque rigorosè fuit ad huiusmodi inquisitionem non solùm in ipsis Toletana, & Seguntina Civitatibus, sed etiam in Villa Matriti; & in Terra Aquævivæ, examinatisque innumeris Testibus, clausus est iussu eiusdem Canonici Commissarij Processus per Notarium, delatusque ad Capitulum. A quo tamen vsque ad hæc tempora nunquàm Ioseph sivè admissionis, sivè reiectionis sententiam potuit reportare, ideòque sua interesse putauit ad Sanctam Sedem Apostolicam à tamdiù retardata Canonicatus possessione reclamare, obtentaque commissione Causæ huic Sac. Tribunali directa, àc Sanctissimi manu signata, & expleta per ipsum compullatione probationum, quas Canonicus Commissarius collegerat; curauit à me in locum Eminentissimi mei Cardinalis Scotti subrogato suscribi, àc proponi in hodierna audientia dubium :: *An literæ Apostolicæ sint exequendæ* :: cui *affirmativè*:: Dñi responderunt.

Cùm enim fuissent in forma gratiosa expeditæ, nulla vlteriori indigebant iustificatione, celeremque exequutionem promerebant ex vulgatis Iuribus.

Neque poterant retardari, ex quo ad formam Statuti Ecclesiæ Toletanæ non constaret de Sanguinis puritate quoad Iosephum provisum. Quoniàm satis iste fundatam habet intentionem in assistentia, & præsumptione Iuris, iuxtà quam vnusquisque præsumitur, quòd sit purus, & de sanguine puro descendat, vt agendo de hoc ipso Statuto Ecclesiæ Toletanæ, alijsque similibus Statutis constantèr respondit *Rota dec.* 166. *num* 32. 39. *&* 40. *decis.* 185. *num.* 2. *&* 3. *part.* 1. *decis.* 196. *num.* 4. *part.* 2. *dec.* 333. *num.* 6. *& seqq. part.* 11. *& dec.* 246. *num.* 4. *part.* 12. *cor. Merlin. decis.* 368. *n.* 1. *coràm Duran. decis.* 131. *num.* 1. *coràm Alexandr. VIII. dec.* 75. *num.* 11. adeoùt semper Oppositori onus incumbat obiectiuam impuritatis exceptionem probationibus plenè concludentibus demonstrare, cùm ceteroquin omnis dubietas huiusmodi maculam respuat, vt consentaneè docent *Valençuel. caus.* 90. *num.* 24. 62. *& seqq. tom. primo, Ricciul. de Neophit. cap.* 7. *num.* 18. alijsque relatis prosequitur *Rota dicta decis.* 167. *num.* 31. *part.* 1. *decis.* 333. *num.* 6. *part.* 11. & nouissimè dictum fuit in *Pacen. Canonicatus* 26. *Iunij* 1715. *§. Et Iure quidem coràm R. P. D. meo Falconerio, &* 24. *Aprilis huius Anni §. Ad effectum coràm R. P. D. meo Crispo confirmatà in hac eadem Audientia coràm Eodem.*

As-

Assumpto autèm per Dominos probationum adductarum examine, tantùm abfuit, quòd de vlla impuritatis macula in Iosepho constiterit, vt potiùs exindè euidentèr puritas apparuerit. Distinguendò enim Testes à Canonico Commissario in diuersis locis examinatos, si de illis octo agendum est, qui in Terra Aquæuiuæ, aùt de alijs decem, & septem, qui in Villà Matriti fuerunt examinati, vtique omnes de puritate Sanguinis tàm Iosephi, quàm illius Maiorum inconcussè deposuerunt; Si verò de alijs agendum est, qui vsque ad numerum triginta vnius fuerunt examinati in Ciuitate Seguntina, ex his profectò exceptis duobus, ceteri viginti nouem circà eamdem puritatem Iosephi, eiusque omnium Ascendentium exactissimas emiserunt depositiones: Hi verò Testes, non solùm quià sunt in numero valdè conspicuo, sed etiam quia Viri sunt omni exceptione maiores, & ad probationes faciendas fuerunt à Canonico Commissario electi, plenèque causam suæ scientiæ reddunt, omninò sunt attendendi. *Mascard. de probat. conclus.* 1344. *num* 3. *Rot. coràm Dunozet. Iun. dec.* 432. *num.* 7. cum alijs in *Meleuitana Marescialatus* 24. *Aprilis currentis anni §. Eadem cor. R. P. D. meo Cerro.*

Neque vlla ratio de ijs duobus tantùm haberi potest, qui de infectione lineæ Iosephi deposuerunt, ex quo familia Isabelæ de Torres quintæ eius Auiæ fuerit à Sacra Inquisitione pœnitentiata, & in consuetis Tabellis, quæ Sambeniti nuncupantur inscripta; Habent namque contradictores tot alios suprà relatos Testes, vsque ad numerum 54. de puritate testimonium perhibentes, quorum dicta in istorum discordantia debent procùl dubio prævalere, vt in proposito notant *Ricciul. de Neophit. d. cap.* 7. *num.* 22. *Lar. de An-niu. & Cappel. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 56. *&* 58. *& in puncto Rota cor. Mantica dec.* 274. *num.* 11. *&* 12. *decis.* 167. *num.* 12. *decis.* 185. *num.* 9. *part.* 1. *rec. & in citata Pacen. Canonicatus* 24. *Aprilis huius anni §. Fin. cor.* R. *P. D. meo Crispo*, & vlteriùs aliunde suspicionem subortam de allegata infectione non deducunt, quam ex dicto cuiusdam Canonici Rètuerta, qui in familiaribus colloquijs asseritur reuelasse Patruum Iosephi ex hac ratione non fuisse admissum ad Collegium S. Crucis, vndè multò minùs hic deponendi modus concludit; Sicùt enim d. Canonico vnico Testi, ac de iudicio proprio testanti fides præstanda non esset iuxta regulam, de qua plenè *Rot. post Posth. de manut. dec.* 129. *num.* 10. *decis.* 235. *num.* 4. *part.* 4. *diuers. dec.* 78. *num.* 15. *coràm Vbazo, & dec.* 8. *num.* 5. *& dec.* 77. *num.* 16. *coràm* R. *P. D. meo Ansaldo*, ità neque illam promerentur dd. duo Testes sese ad iudicium, credulitatem, & verba illus referentes, nè plùs credatur copiæ, quam originali, vt aliàs dixit Rota *dec.* 538. *num.* 18. *coràm Burat. decis.* 545. *num.* 7. *part.* 18. *decis.* 397. *num.* 10. *part.* 19. *recentior. & in* Romana *Hæreditatis super articulis* 4. *Maij proximè præteriti §. Improbabilis cor.* R. *P. D. meo Cerro.*

Cessat verò in vniuersum, si quæ exindè oriri posset, amaritudo. examinando prædictam reiectionem Patrui Iosephi prouisi, à memorato Collegio S. Crucis; Siquidem in huiusmodi Collegio, proùt in alijs consimilibus, & præcipuè in Collegio S. Ildephonsi, à quò paritèr reiectus asseritur alter ex Ascendentibus Iosephi Hieronymus Iamon nuncupatus, viget Statutum summo rigore seruatum, quod quicumque rumor etiam falsus super impuritate sufficiat, vt quis admitti non debeat, proùt tradunt *Amaya in Apolog. prò Statut. Colleg. Conchen. num. 2. & seq. Escobar. de purit. sanguin. part. 1. quæst. 12. §. 3. num. 46. & num. 15. in fine, & part. 2. quæst. 7. num. 6.* ideòque non valet illatio de ista exclusione à Collegio ad exclusionem in casu nostro prætensam à Capitulo propter Statuta non falsum, sed verùm, & plenè probatum impuritatis rumorem requirentia iuxtà firmata in suprà allegatis decisionibus, & præsertim in Pacen. Canonicatus coràm RR. PP. DD. meis Falconerio, & Crispo.

Rursus concurrit, quod euidens est error præsuppositi rumoris, qui causam dedit præfatę reiectioni, & hoc non vno dumtaxat argumento demonstratur. Præter enim quod duo ex Testibus, qui tunc temporis id deposuerunt, se posteà stimulis conscientiæ moti expresè retractarunt, veniam petendo, & contrarias epistolas conscribendo illi Collegiali, qui processum informatiuum construxerat, & præsertim vnus id expleuit tempore, quo erat in articulo mortis constitutus; vrgens ea videtur animaduersio, quod idem Iosephi Patrvus à decreto suæ reiectionis recursum habuit ad Sacrum Tribunal Inquisitionis sese qualificari adductis maioribus suæ puritatis probationibus postulando, obtinuitque ijs peractis in Familiarem S. Officij deputari, id quod factum non fuisset, nisi dicto Tribunali omninò falsa visa fuisset impuritatis exceptio iam antea contrà eumdem allegata, itaùt ex hoc actù omnis sinistra opinio debeat penitus remoueri, ut firmauit in his terminis *Rota coràm Duran. decis. 316. num. 2. coràm Merlin. dec. 368. num. 9. in fine, & decis. 2446. sub num. 5. part. 12. & in dicta Pacen. Canonicatus 26. Iunij 1715. coràm R. P. D. meo Falconerio, & 24. Aprilis mox elapsi coràm* R. *P. D. meo Crispo vtrobique §. Fin.* confirmata, vt diximus, in hac eadem audientia coràm Eodem.

Absque eo, quod vllatenùs obstet in contrarium, quod verè de anno 1540. quædam Isabella de Torres inter Iosephi Ascendentes connumerata fuerit de familia pęnitentiata per idem S. Inquisitionis Tribunal, ideoque ex eà sanguinis impuritatem eius contraxerit Descendentiam; Non enim id sufficit prò huiusmodi effectu, sed necesse etiam est demonstrare per vniuocas probationes dictam Isabellam, à qua Prouisus originem ducit, esse deillamet Familià de Torres, quæ fuit pęnitentiata, cum ex hac Familiæ identitate robur probationis dependeat, vt in specie responsum fuit in

alle-

allegata Pacen. Canonicatus cor. R. P. D. meo Falconerio §. *Quibus etiam*, & coràm R. P. D. meo Crispo *§. Vltra defectum*, vbi concordan: Id, quod non solùm vnquam probatum non extitit, sed imò contrarium euidentèr constare fecit Iosephus, nempè Familiam illam de Torres, quæ fuit pœnitentiata, diversam prorsùs esse ab alia, à quà descendit Isabella de Torres in eius genealogia reperta.

Familia siquidem illa, quæ ex dicti Tribunalis Sententia condemnata fuit, licèt eiusdem sit cognomenti de Torres, natiua erat, & originaria Ciuitatis Seguntinæ; Isabella verò de Torres quinta Iosephi Avia natiua erat, & originaria Oppidi Aquæuiuæ in Ducatù Medinæ Cęli existentis; Ex hac autem Patriæ diuersitate ad Familiæ quoque diuersitatem rectè infertur, vt benè obseruat *Cyriac. contr.* 281. *num.* 28. R*ot. dec.* 74. *num.* 4. *post Viuian. de Iurepatr. decis.* 246. *num.* 8. *part.* 12. *rec. & in Forolivien. loci Concilij* 3. *Iulij* 1711. §. *Quod autem Franciscum coràm Reverendissimo Domino meo Card. Scotto.*

Confirmat hanc ipsam Familiæ diversitatem animadversio; quod cum anno 1540. esset S. Inquisitionis Secretarius Alphonsus Fernandez Maritus Annæ Filiæ Isabellæ de Torres, iste tamquàm minister eiusdem Tribunalis processum compilauit contrà illos de Familia Torres pœnitentiatos, adeòque rigidè contrà eos se gessit, vt vigore dicti processus fuerint omnes illi de dicta Familia publicè flammis concremati; quæ circumstantia strictè convincit Isabellam de Torres matrem Annæ non fuisse de Familia pęnitentiatorum, quià credibile haud est voluisse dictum Tribunal prouidè adeò, ac prudentèr segerens deputare personam sanguine coniunctam ad processum conficiendum contrà Reos de execrabili hęresis crimine, argumento ducto ab inuerisimili iuxtà regulam, de quà R*ot. dec.* 272. *num.* 20. *part.* 17. *dec.* 20. *num.* 6. *part.* 18. *& dec.* 19. *num.* 2. *part.* 19. *rec.*

Maximè, quià idem Fernandez etiam post contractum matrimonium cum Anna Filia, vt dictum est, Isabellæ, adhùc in ministerio Sacræ Inquisitionis continuauit, fuitque S. Officij familiaritati aggregatus, quando tamen quoquo modo sanguine coniuncti cum talitèr condemnatis habentur prò infamibus, & repelluntur ab honorificis officijs, & ministerijs, vt testantur R*om. singular.* 167. *Azeued. in Cur. Pisan.* 2. *part. cap.* 12. *num.* 23. *Mastrill. de Magistrat. cap.* 12. *num.* 50. 51. *&* 64. *Escobar, de purit. & nobilitat. quæst.* 1. *præmial.* §. 4. *num.* 26. *& seqq. &* R*ot. dec.* 246. *num.* 5. *part.* 12. *rec.*

Hisque accedit Testimonium quoque ipsius Sacri Tribunalis S. Officij Conchen. quod recognitis processibus olim factis contrà illos Familiæ de Torres Ciuitatis Seguntinæ, perspectaque genealogia omnium eorum Ascendentium, Descendentium, & Transuersalium testatur nullam in illis reperijsse fęminam, quæ haberet

hoc

hoc nomen Isabellæ de Torres, per quam quidem attestationem præcedenti maturà inspectione processuum, genealogiæ extraditam, probari videtur negatiuà coarctata, quod inter personas à Familia pœnitentiata descendentes numquàm fuerit Isabella, itaut ad abstergendam huiusmodi maculam omninò debeat attendi, vt semper consueuit S. Rota, prout ex *dec. 921. num. 3. cor. Pæm. dec. 78. num. 13. coràm Coccin. dec. 835. num. 5. coràm Mançaned. dec. 368. num. 9. & 10. cor. Merlin. & decis. 463. num. 7. part. 5. rec. tom. 2.*

Nec minoris denique releuantiæ argumentum deducitur ex eo, quod eodem fermè tempore, quo illi de Torres Seguntini fuerunt de ordine S. Officij combusti, Isabella de Torres obijt, & sepulta fuit in Claustro Ecclesiæ Cathedralis vna cum eius Marito cum titulis quidem valdè honorificis in vtroque tumulo, ita :: *Hic iacet Honorabilis D. Isabella de Torres Vxor D. Alphonsi Molina* :: *Hic iacet honorabilis D. Alphonsus Molina maritus Isabellæ de Torres* :: insculptis præterea ibidem non proprijs tantùm stemmatibus, sed etiam illis ipsius Capituli Seguntini, quod quidem id nullatenùs permisisset, nisi plenè ipsi constitisset memoratam Isabellam nihil habere agere cum perversis Hebreis paulò ante à extremo ignis supplicio affectis; Quocircà tot concurrentibus circumstantijs Familiarum diuersitatem demonstrantibus, nequit de illa ampliùs dubitari, vt in longè debilioribus terminis dictum fuit coram *Coccin. decis. 1343. in rec. decis. 186 num. 6. part. 3. decis. 366. num. 4. part. 5. in Foroliuien. loci Consilij 5. Maij 1704. coràm Rmo. D. meo Molines Decano, & in alia 3. Iunij 1711. coram Eminentissimo D. Card. meo Scotto.*

Harum omnium rationum efficaciam probè noscentes contrarij Defensores, probationes hactenùs non fuisse completas asserebant, ideòque immaturè ad causæ resolutionem deueniri non posse, afferentes præceteris attestationem Portionarij Mançani post alios omnes Testes examinatos factam super eadem asserta descendentia Iosephi ab Isabella de Torres sanguinis impuritate laborante. Domini verò huiusmodi exceptionem pœnitus illegalem censuerunt, tùm quià de perfectione processus plenè constat, non solùm ex illius inspectione, cum sit conflatum ex depositionibus septuaginta, & vltrà Testium, magnoque cumulo Scripturarum, verum etiam quia por recepta omnia iura necessaria, fuit à Canonico Commissario clausus, & obsignatus, reportata vlteriùs à Capitulo solemni declaratione super recto sui muneris implemento; tum etiam quia agitur de exequutione litterarum Apostolicarum à multis retrò annis expeditarum, quæ ceteroquin ex omni iuris principio celerrimam promerentur exequutionem *Rot. cor. Priolo decision. 341. num. 7. in Vallisoletana Beneficij* 19. *Nouembris* 1708. *§. Etenim coràm R. P. D. meo Falconeric, & in Cesaraugustana Beneficij* 13. *Ia-*

Ianuarij 1710. §. *Nedum coràm* R. *P. D. meo Aldrouando*, adeout non debeat esse in libito Contradictorum nouas procurando Testium attestationes contrà alioquin clara superiùs expensa argumenta diutiùs illam protrahere, contrà quæ sanè argumenta, vtpotè ex authenticis, publicisque documentis deducta, non nisi releuantes probationes attendi possent Rot*a dec.* 453. *num.* 1. *coràm Duran. dec.* 142. *num.* 6. *part.* 6. *& in Burgen. Iurisdictionis super remissoria* 19. *Februarij* 1714. §. 1. *coràm R. P. D. meo Falconerio.*

Quo verò ad postremam dicti Portionarij depositionem satis esse Dominis visum est, quòd erronea conuincatur ex huc vsquè deductis circà diuersitatem Familiæ Isabellæ ab altera illorum, qui fuerunt condemnati.

Et ita vtraque, &c.

ROMÆ, MDCCXVI.
Ex Typographia Reu. Cameræ Apostolicæ.

Superiorum Permissu.

Hæc decisio expedita fuit ex processu confecto à Commissario Canonico Ecclesiæ Toletanæ, quin à D. Iosepho Iubera exhibita fuissent ulla documenta ex multis comprobantibus suam puritatem.